



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

459. An requiratur consensus habentis regressum ad beneficium, cui imponitur pensio, ita ut si hic desit, pensio reservata sit nulla.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

q. 36. n. 46. Quin & derogationem hujus consensu impracticabilem esse, ait Lott. cit. q. 35. n. 72. in fine. idque declarat n. 73. & cit. q. 36. n. 117. indicat, consensum illum de potestate ordinaria suppleri non posse, quamvis ibidem pariter iudicet, illum posse suppleri, seu ei derogari de plenitudine potestatis, quæ in se semper habet aliquid amari. Quod ultimum satis indicat Card. de Luca in parentesi illa paulò supra adducta. Et de hoc consensu loquuntur ferè AA. dum dicunt, consensum resignarii seu gravati requiri. v.g. Paris. l. 6. q. 2. n. 155. Item illius, qui habebat beneficium, dum nimirum pensio imponitur beneficio pleno & non vacanti, de quo Card. de Luc. l. c. n. 12.

4. Respondeo quartò: Minimè verò intelligenda hæc sunt de consensu illo, qui ad differentiam præcedentis, dicitur formalis, qui præstatur in expeditione literarum juxta reg. cancell. 45. utpote qui, ut Lott. cit. q. 35. n. 70. formam solum expeditionis literarum respicit, & non substantiam gratiæ, sive ut Card. de Luc. loc. cit. ad quandam formalitatem potiùs, quàm ad necessitatem requisitus. Et cui Papa consuevit derogare, Ventrigl. loc. cit. Lott. cit. q. 35. n. 71. Et de derogatione hujus consensu intelligendus Chokier ad reg. de præst. consensu. n. 47. quem Lotterius ait, non attendisse ad distinctionem horum duorum consensuum gravati. Porro huic posteriori consensui derogatur, quoties confertur beneficium absenti cum reservatione pensionis. Paris. l. 8. q. 8. n. 118. Chok. ad reg. 44. cancell. n. 47. Ventrigl. loc. cit. n. 9. citans Gig. de pens. q. 10. n. 7. & 11. Card. Paris. cons. 5. n. 56. vol. 4. Item quoties resignatur beneficium in favorem minoris absentis, ita ut hujus consensu necessarius non sit, Chok. loc. cit. Paris. loc. cit. n. 120. Ventrigl. cit. n. 9. Item quando reservatur pensio juxta concordiam. Ventrigl. ibidem. & in casu Mohedæ decis. 501. ad quam remittit Paris. loc. cit. n. 121. Oportet tamen derogationem hujus consensu esse nominatim & expressam, cum regula dicta Cancell. 45. habeat decretum irritans. Ventrigl. loc. cit. n. 10. ex Paris. loc. cit. n. 122. Proinde jam dictus consensus formalis citra hujusmodi derogationem requiritur regulariter, Ventrigl. loc. cit. n. 8. Sed non nisi ad satisfaciendum dictæ regulæ, vel etiam pro majore cautela pensionarii. Card. de Luca loc. cit. n. 10. quemadmodum, ut Card. de Luc. l. c. n. 11. licet omnino necessaria sit expeditio literarum, sine qua pensio exigi nequit sub pœna amissionis pensionis (de quo infra) id tamen procedit ratione decreti, quod in eadem reservatione adjici solet pro iuribus & emolumentis officialium absque eo, quod concernat substantiam & perfectionem gratiæ, cum expeditis literis exigi possint, ac debeantur termini ante expeditionem literarum decursi, computando tempus à die signatæ supplicæ, ex quo gratia perfecta est.

5. Illud hic circa utrumque hunc consensum causalem & formalem notandum ex Lott. cit. q. 35. n. 86. & 87. quòd si Papa (quod tamen se nunquam vidisse contigisse, ait idem Lott.) pensionem reservaret beneficio adhuc vacante, neque esse locum regulæ de præstando consensu formali, neque etiam deficere formam talis pensionis ex defectu consensu causalis, quia Papa hunc tantisper suspendit, non autem removel, quia mox ut providet de beneficio, & provisus illud acceptat pensione gravatum, dicitur de facto consentire & contrahere.

Quæstio 457. An requiratur quoque consensus illius, qui pensionem solvere debet in impositione pensionis facta per Episcopos vel Legatos in casibus, in quibus ipsi imponere pensionem possunt?

Respondeo: Multò magis requiri consensum illum respectu illorum; cùm illi juri Pontificio, quo hic consensus requiritur, derogare non possint. Castrop. loc. cit. Azor p. 2. l. 8. c. 8. q. 6. Garc. p. 1. c. 5. n. 320. citantes Gig. de pens. q. 10. Caccialup. tr. cod. q. 5. Sed quid, si tanquam arbitri & iudex imponeret pensionem non beneficio, sed personæ beneficiati pro bono pacis, an non ad consentiendum cogere posset partes?

Quæstio 458. An, & qualiter, seu cuius consensus requiratur in impositione pensionis beneficio, dum illud rectorem non habet, sed vacat?

Respondeo: Castrop. de benef. d. 1. p. 11. s. 5. n. 2. Azor. loc. cit. censent constituendum beneficio defensorum, qui loco beneficiarii consentiat pensioni; eò quòd, ut Castrop. licet pensio non sit propriè alienatio (in quo casu requiritur talis defensor) sit tamen quasi alienatio; tum etiam & maximè, quia aliquis est obligandus ad solutionem pensionis, qui in eo casu non possit esse alius, quàm dictus defensor & fructuum custos. De quo dicendum videtur, quòd dicitur paulò post de beneficiati consentiente etiam pro successoribus suis, nimirum, quòd, dum provisus de tali beneficio acceptando illud jam gravatum, rati habendo consensum illum; eam obligationem contrahat. Nihilominus Garc. p. 1. c. 5. n. 320. censet, non requiri talem defensorem ad consentiendum pensioni, sed posse eam imponi absque eo, quòd tunc consensus aliquis requiratur. Loquuntur autem hi AA. de pensione imponenda per Episcopum. De cetero enim procedere posset doctrina Garcia respectu pensionis imponenda per Papam beneficio vacante.

Quæstio 459. An requiratur consensus habentis regressum ad beneficium, cui imponitur pensio, ità ut si hic desit, pensio reservata sit nulla?

Respondeo negativè, seu validam adhuc fore pensionem talem. Paris. l. 6. q. 2. n. 86. citans Gig. de pens. q. 79. col. 1. & n. 87. in fine. subdens; id eò magis procedere, si in supplicatione narretur, esse reservatum regressum in illo beneficio, intellige absque eo, quòd requisitus sit iustus reservarii consensus, aut is concessus exprimat in illa supplicatione, quia hoc ipsum tacitum esse in impetratione non importat subreptionem; etsi enim causa de præsentibus aut præteritis existentibus aliis tales, quæ retraherent, aut difficiliorem redderent Principem in concedenda gratia, sint in consideratione quòd ad subreptionem, obreptionem, & intentionis defectum inducendum, non autem, quæ sunt de futuro potente contingere & non contingere, adeòque de futuris habentibus se ad esse & non esse, non est in impetratione necessariò facienda mentio; jam verò regressus pendet à futuro eventu, & illi potest esse locus vel non esse. Paris. n. 87. Nihilominus istiusmodi pensionem annullandam, cùm locus erit regressus vel accessus, est Paris.

Paris. n. 88. citans Gig. ubi ante, & aliquot Rota decisiones. Eò quòd dicta reservatio pensionis non debeat valere quòd præjudicium ejus, qui regressum habebat, cui non consentienti Papa non censetur velle præjudicare, Paris. n. 89. idipsum n. 90. & 91. exemplificans pluribus, v. g. sicut si feudatarius non habens filios, feudum der in dotem filia, concessio illa valet in vita ipsius patris, & non ultra; cum successor præjudicare non possit. Res subjecta restitutioni, si alienetur, valet alienatio in vita alienantis tantum, & ad illius præjudicium, sed adveniente casu restitutionis, seu pro quo urget restitutio, alienatio fingitur retro nulla. Ità & adveniente casu regressus, pensio erit nulla: idque etiam si motu proprio esset assignata talis pensio, Paris. n. 92. ex Gig. cit. q. 79. n. 3. cum motus proprius non operetur in præjudicium tertii. Unde etiam inolevisse praxin ait Paris. cit. n. 92. quòd, si in supplicatione narrabatur, quòd alicui reservatus regressus super tali beneficio, ponitur: qui etiam consentit huic reservationi. Et si id non apponatur, signatura solet illud apponere: de consensu ejus, qui regressum habet, & tunc necesse sit, ut der consensum habens regressum. Quamvis, ut Paris. n. 93. in fine, si Papa factà mentione regressus, nihilominus imponeret pensionem absque alio consensu, valida foret pensio.

Questio 460. An titularis consentiens pensioni possit penitere, priusquam accedat consensus Papæ?

Respondeo affirmativè; cum enim consensus partium sine auctoritate Papæ nihil præster, si dictus consensus titularis præveniat ante obtentam gratiam, est revocabilis. Lott. l. 1. q. 35. n. 67. Idque, ut ait idem, non obstante quovis juramento, liquidem, ut ait Chok. ad reg. 44. n. 52. consensus ille ante obreatum beneplacitum Apostolicum præstitus, etiam cum juramento non valet.

Questio 461. An, & qualiter præsumatur consensus titularis præstitus?

Respondeo: Præsumitur præstitus consensus Rex diuturna observantia factæ solutionis, non elisà hac præsumptione per contrariam probationem, & ex hac apparente veritate. Consensus enim ille non requiritur pro solemnitate de forma præcisà, ita ut expressè in ipso actu intervenire debeat; neque certam formam habet, adeoque præcedere potest & subsequi, modò re integrà & ante declaratam nullitatem, ac etiam implicite præstari. Dum enim actus non est requisitus pro forma præcisà, impletur per quodvis æquipollens implementum (quale respectu illius consensus expressi & expliciti videtur talis diuturna observantia solutionis factæ à titulari, utpotè in se complectens rationem consensus impliciti) ita ferè tradit Card. de Luca de pens. d. 53. an. 3. An verò ad præsumendam extrinsecam solemnitatem vel alium actum requiratur observantia longissimi, an sufficiat longi temporis, desumendum ex eo, quòd ea, quæ expressam ac vehementem juris resistantiam habent, ut alienatio bonorum Ecclesiæ, observantia debet esse longissimi temporis; ad ea verò, quibus jus non adeo resistit, sufficit longi temporis observantia, ut tradit idem Card. de Luca, loc. cit. à n. 6. qui etiam num. 9. ait, talem pensionem videri habere speciem alimentorum; favore autem alimentorum suffragetur observantia triennalis,

P. Leuren, Fori Benef. Tom. III.

Questio 462. An, & qualiter titularis consentiens pro se, consentiat etiam pro successoribus suis?

Respondeo: Dum reservatur pensio, titularis non consentit pro se solum, sed etiam pro suis in eodem beneficio successoribus, quousque vivat pensionarius, obligando se & suos successores expressè in forma Camera. Unde ex eo actu resultat formalis contractus, tam respectu ipsius, quàm successorum, qui licet efficaciter non obligentur, nisi priusquam succedendo eorum habuerint talem contractum; nihilominus secunda ratihabitione ex simplice acceptatione beneficii fit retrotractio cuiusdam obligationis ad diem ipsius contractus; cum hæc sit vis ratihabitionis, ut retrotrahatur. l. ult. ff. ad Macedon. Lott. l. 1. q. 39. n. 101. Card. de Luca de pens. d. 6. n. 4. dicens, procedere idipsum de successore, qui independenter ab antecessore suo habet illud beneficium; ita ut provisus de beneficio illo gravato acceptando provisionem censetur consentisse oneri pensionis, & cum pensionario quasi contraxisse. Proindeque idem est, ac si omnes successores cum ipso titulari à principio pro solvenda pensione constituisent se plures reos debendi in solidum, & omnia bona juraque sua pro solutione hujusmodi hypothecassent; cum ita sit vis obligationis cameralis. Lott. ibid. n. 104. Et hinc consequitur, nedum realem, sed etiam personalem actionem & obligationem contra successorem in beneficio dari pro terminis decursis & non solutis. Lott. n. 107. De quo ex professo infra, ubi, qualiter successor solvere teneatur pensionem.

Questio 463. An consensus pensioni præstitus ab eo, cui de beneficio nulliter provisum erat, præjudicet ei, qui beneficium legitime obtinuit?

Respondeo negativè. Chok. ad reg. 44. n. 52. ex Farinac. de is. 437. p. 1. n. 1. in novissimis.

Quibus beneficiis ac rebus imponi possit pensio?

Questio 464. An pensio per Papam imponi possit beneficiis jurispatronatus, idque absque consensu patroni?

Respondeo ad primum affirmativè; id enim expressè supponunt AA. quærendo ferè solum, an patroni ad hoc consensus requiratur? Proinde

2. Respondeo ad secundum primò: Extra dubium esse, posse Papam de plenitudine potestatis beneficii, jurispatronatus, etiam laicalis, imponere pensionem, irrequisito seu non curato patroni consensu; cum & hæc beneficia uti & cetera omnia subdantur supremæ illius in beneficialibus potestati. Garc. p. 1. v. 5. n. 367. Castrop. de benef. d. 1. p. 11. §. 2. n. 7.

3. Respondeo ad secundum secundò: Sed & minime necessarium esse consensum patroni laici in impositione pensionis factæ à Papa, resolvit Rota in Colambriens. pens. 11. Febr. 1598. apud Garc. loc. cit. Idem absolute tenet Gig. de pens. q. 23. n. 2. testans sic ex usu & stylo Curie receptum esse. Sequitur illum Ventrigl. to. 2. annot. 11. §. 1. n. 11. & Azor p. 2. l. 8. c. 8. q. 1. hisce expressis (quibus etiam